

# M E L I S S A

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08

Editor Responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

## De Ludis Horatianis Monacensibus

Inclutus poeta Q. Horatius Flaccus, duobus millenniis postquam vita functus est, variis locis commemoratus est. Prima celebratio iam facta est anno 1992 Venusiae, in Horatii patria, de qua in Melissa fasciculo 52 rettulit Prof. Thomas Pekkanen. Cur iam anno 1992 facta esset, explicavit D.rix Sigrides Albert in Vocis Latinae fasciculo 113. Ultimam sollemnitatem curavit Prof. Valahfridus

Stroh Monacensis, quam, instar variorum Ludorum Latinorum a se ab anno 1983 institutorum, «Ludos Horatianos» vocavit. Qui ludi triduanii acti sunt Monaci in urbe capite Bavariae, a Veneris die 26 in Solis diem 28 mensis Novembris.


Programmati nuper accepto confisi, Melissa moderatores autocineto vecti Monacum



*De picturis minutis, quibus quinto et sexto decimo saeculo "illuminatores", qui vocabantur, libros ornabant, fit Parisiis pulcherrima expositio. Videatis p. 3.*

*Bruxellis autem adhuc sunt (sed mox finientur) expositiones quibus nomen est "Europalia". Cfr p.4-5.*

*Ceterum Monachi tam mirabiliter acta est "Troas" tragoedia Senecae, ut non pauci eam aliis locis ostendi cupiant. Licebitne in aliis Europae regionibus meritos plausus artificibus dare? Legatis p. 15.*



*Prof. Valahfridus Stroh*

pervenerunt Veneris die hora secunda, qua incohabantur Ludi, atque statim petiverunt sedem Thesauri Linguae Latinae, cuius lustratio hac ipsa hora habenda nuntiabatur. Non parum stupuimus comperientes nullum Ludorum participem adesse secretariumque Thesauri nihil scire de hac lustratione. Cum valde decepti essemus, Dr Krömer director arcessitus est. Qui vir vere affabilis reverentiam nostram erga linguam Latinam videtur aestimavisse; nam nos statim in sanctuarium introduxit totamque rem nobis explicavit... infeliciter Theodisce, quamquam sermonem Latinum facile intellegebat.

Re iucunde peracta multisque gratis actis, studiorum universitatem petivimus, ubi comperimus programma mutatum esse propterea quod in ipsius Thesauri Linguae Latinae sede nemo inventus erat, qui vellet rem Latine explicare! O tempora...

Aedes Universitatis Ludovico-Maximilianae sunt amplissimae atque magnificae. Ab altissimo atrio ad tabulata ducitur per latas scalas. In primo tabulato agebantur pleraeque Ludorum actuositates. Ibi in androne circum aeneum exemplum famosae statucae Doryphori exponebantur multa documenta ad Horatium spectantia. Manifesto haec expositio potius Monacensibus civibus destinabatur quam solis Latinitatis cultoribus, cum omnia Theodisce essent conscripta. Eadem de causa non plane intelleximus verba «NICHT MEHR (i.e. non iam): DULCE ET DECORUM EST PRO PATRIA MORI», quae magnis characteribus in tabula conscripta erant sed textu Theodisco explicabantur.

Complures actuositates eodem tempore habebantur; nonnullae potius discipulis idoneae erant; fiebant scholae, cantus communes et orationes. Veneris die vespere in aula maiore Universitatis facta est acroasis musica Horatiana, ubi inter alios editi sunt modi musici Iani Novak. Refertissima erat aula; multi locum inane quaesiverunt.

Nonnullas acroases Latinas auscultavimus, inter quas eam sollemniorem, quam Saturni die hora quinta decima habuit Prof. Eccardus Lefèvre. In auditorio maximo frequentissimoque exposuit «cur Horatius vitam privatam rebus publicis praetulisset».

Hora septima decima Prof. Valahfridus Stroh palam explicavit cur una cum suis alumnis Senecae tragoediam Troadem in scaena agendam elegisset, quae fieret culmen Ludorum Horatianorum. Haec oratio ex tempore vivaciter facta omnium fuit maxime attractiva.

Hora octava Senecae Troas acta est non in studiorum Universitate sed in theatro Aedium Americanarum (v. American House) ad Forum Carolinum. Maximus erat spectatorum concursus. Refertissimum erat theatrum cum, sublato aulaeo, adspeximus Troiana moenia usta et diruta, ante quae totum spectaculum actum est. Animus captus est argumento humano, oculi motibus scaenicis, aures modis musicis (cfr p. 15).

Ultimo Ludorum die nobis non licuit Delicias Horatianas in Aula Maiore habendas spectare, cum hieme Bavariam premente longum iter in reditu nobis esset faciendum. Dolemus quod inter alios nobis non licuit Reginam Rimon cum suis Papis calidis (v. Reine Rimon and her Hot Papas) auscultare. Scitu dignum est hunc Finnicum gregem musicorum iazzicorum sumptibus Radiophoniae Nationalis Finnicae YLE Ludos participavisse, ubi cantilenam Latinam suis modis musicis aptatam edituri erant.

Spero fore ut hoc exemplo imitati rerum publicarum administratores in aliis etiam regionibus vivae Latinitati aliquando faveant. 22

Gaius LICOPPE



# DE "ILLUMINATIONIBUS"

REFERT FRANCISCA DERAEDT

His temporibus si vobis occasio datur Parisiorum petendorum, eatis ad Bibliothecam Nationalem; ibi, usque ad diem 16 mensis Ianuarii a. 1994 (singulis diebus ab hora 10 ad horam 20), praebetur splendida expositio manuscriptorum, cui titulus est «Quand la peinture était dans les livres».



Vobis licebit «minutas picturas» sive «illuminations» admirari quae recondi solent in bibliothecarum thesauris. Principes hominesque divites saeculis quinto et sexto decimo sibi acquirere solebant haec opera tam mirifice ornata ut missale potius videretur esse exquisitum ornamentum quam instrumentum oratorium.

Qualis artificum phantasia, qualis varietas: alius colit colores pallidos (cfr imaginem primae paginae, quae pertinet ad stilum Francogalliae septentrionalis; nomen pictoris est «le Maître du Champion des Dames»), alius minimas res (sicut multitudinem avium in arbore quadam positarum, quas vix potes adspicere nisi nasum libro imponis), alius meteorologiam (pictor, c.n. «le Maître de Coëttivy», solus est illius temporis qui ostendat pluviam, grandines et lucem hiemis), alius ornamenta floralia (sicut Iohannes Bourdichon, qui manuscriptum suum herbario ornavit pulcherrimo: cfr adiunctam imaginem); oviculae, quae in hac pagina etiam ostenduntur, excerptae sunt ex pictura Iohannis Fouquet, ubi Sanctam Margaritam bucolice comitantur.

Haec omnia tam pulchra sunt, ut Parisios petentibus non liceat ea praetermittere; sin autem vobis non est alia causa Parisiorum petendorum, hanc sumatis occasionem!






*Mexico, sive Temixtita, in Hispania nova, Mexicanae Provinciae opulenta et celeberrima civitas, uliginoso et salso in lacu mirabiliter constituta, amplitudine Hispalim aut Cordubam superat; via quae ad illustrem hanc urbem deducit, ampla est et visu iucunda. Vici quoque omnes habent suos exitus, ut ab uno ad alium aquae permeare possint. Habent plurimas plateas, ubi assidue sua habent fora et commercia ad emendum et vendendum. Quarum una est duplo maior foro Salamanticae civitatis, undique porticibus circumdata, ubi quotidie ultra sexaginta milia hominum vendentium ementiumque cernuntur. Est in ista platea permagna domus, in modum iudicii, in qua incidentes in foro contentiones dirimuntur. Sunt etiam hic plurimae Meschitae<sup>1</sup> et Idolorum domus, quas religiosi incolunt. Est inter Meschitas una suprema, cuius vix credibilem magnificentiam Cortesius copiose explicat. Idola sua ex farina et humano sanguine conficiunt, quibus multa hominum corda ex viventium corporibus extracta quotidie offerunt. Est et hic magnifica Regia potentissimi illius Domini Mutezuma, cui novi urbis adeo multae provinciae parebant, ut non esse alium in universo terrarum orbe Dominum eius subditi cederent. De rara huius Mutezumae magnificentia, et de aliis cum harum civitatum, tum orbis nuper inventi historiis, multa suppeditabunt illi, quos D. Abrahamus Ortelius, celeberrimus ille geographus, in perillustri Theatro suo, fol. 2 novi orbis descriptors allegat.*


<sup>1</sup> Scriptores illius temporis saepe vocant meschitas omnia barbarorum templa.





# EUROPALIA 93 MEXICO

SCRIPSIT GAIUS LICOPPE

 «Europalia 93 Mexico» finem habent mense Decembri. Praecipuas expositiones lustravi; qua occasione data mihi iterum cogitare licuit de incolarum cultu humano et civili tali, qualis fuit ante Hispanorum adventum. Iam ante multos annos quam plurima discere volui de his eventis extraordinariis unicisque quae sunt magnam omnino ignotam terram invenire et praesertim gentes plurimas quae nullum umquam coetum habuerant cum nostro vetere terrarum orbe. Inter alios librum summa exspectatione legi quo Bernal Diaz del Castillo, Hernandi Cortez comes, primam Hispanorum irruptionem in Aztecorum regnum narrat.

Eorum manum numero invalidam intento animo secutus sum per aggerem, quo aditus dabatur ad Aztecorum urbem caput Tenochtitlan mediis in undis lacus Texcoco exstructam (vide p. 4 qualem eam fuisse sibi fingere poterant Europaei XVI saeculi; etiam scribebant *Temixtita* loco *Tenochtitlan*).

Locorum tamen rerumque gestarum singularitas non tam miranda est quam occursum omnino diversarum. Ars scientiaque indigenarum tales erant quales in Europa fuerant ante aetatem ferream, id est duobus milibus annorum prius. Eorum tela ne metallica quidem acie muniebantur; lapideas tantum cuspides ex acutis obsianis fragmentis conficere valebant.

Aspectus vestitusque Hispanorum Amerindis tantum singulares videbantur, sed arma ferrea, arcuballistae, sclopetata, bombardae, equi necnon canes, cum haec ibi essent omnino ignota, eis tantum terrorem inciebant ut Hispanos ducerent

pro deis. Moctezuma, qui tunc recens Aztecorum imperium regebat atque omnipotens ut deus a suis colebatur, timorem reverentiamque mox concepit erga Ferdinandum Cortès eiusque comites.

Non solum rebus technicis Amerindi Hispanis erant impares sed praesertim mente. Aztecorum animi toti submissi erant crudelissimae deorum tyrannidi. Certe Hispani etiam se praebebant religiosissimi; dicebant se veri Dei summique totius orbis terrarum imperatoris Caroli V esse antesignanos atque hac ipsa de causa ab indigenis postulare ut abhinc solum verum Deum colerent imperatorique se submitterent. Hispani etiam maxima crudelitate se gesserunt, non tamen ritualiter ut Azteci, sed ad timorem indigenis iniciendum.

Moctezuma, cum de insolitorum alienigenarum adventu eorumque prodigiis certior factus esset, statim putavit terribilem deum Quetzalcoatl (i.e. Serpens Plumatus), quem deus Tezcatlipoca (i.e. Speculum Fumans) Aztecorum tutor olim fugaverat, nunc revertisse ad ultionem exigendam, id quod re vera a prophetis nuntiatum erat. Donis, minis, insidiis inane conatus est Hispanos dissuadere ne suam urbem caput peterent atque ad eum adirent. In imo pectore iam victus erat, cum Hernandi Cortès manus per aggerem Tenochtitlan penetravit. Sine proello captus est; quis enim eius divinam personam arripere ausus esset nisi ipse fuisset deus potentior?

Quo imparitatis sensu mala fide abusi sunt Hispani non solum ad indigenarum regna expugnanda sed etiam postea cum victos in suam dicionem redactos superbe gubernarent.

*Sequitur.*

# DE TABERNIS FLORENTINIS

## QUAE LATINE APPELLANTUR

SCRIPSIT PAULA MARONGIU

### *Aurificis taberna:*

haec inscriptio oculos meos ad se convertit; iam advesperascit et fortasse non bene vidi, redeo retrorsum et melius conspicio: non erravi, agitur revera de appellatione Latina. Non sumus in quadam urbe antiqua Romana sed Florentiae in quadam via suburbana, a domo mea non remota. Taberna est parva recenter instructa ut e supellectile conici potest. Ex ianua vitrea vix dispicitur artifex capite demisso labori suo intentus. Tintinnabulum pulso et adulescens, inaure ornatus, e sella surgit et mihi salutem reddit. Sum paululum incerta, quod consilium non agito quicquam emendi. Nam eum rogo scilicet Italice non Latine quod timeo ne putet me esse insanam: «Ignosce mihi domine, quaeso, cur tabernae tuae nomen elegisti Latinum?» Subridens respondet se et socium suum insolito nomine diu quaesito arbitratos Latinum esse optimum; pro dolor se linguam Latinam ignorare, quod in schola quam adulescentulus frequentaverit hic sermo non doceretur. Certe appellatio inusitata inusitatam artem significat; nam maxima pars rerum aurearum (torquium, anulorum, armillarum, inaurium) quae in parvo vitreo venales prostant, sunt, ab eo et a socio eius, ut adfirmat, secundum usum translaticium Florentinum factae, propriis figuris adhibitis.

Ut huius aurificis sunt Florentiae multae aliae tabernae quae Latine appellantur. Inquisitio mea non contendit se completam esse (eius fundamentum est quod meis oculis ambulando vidi, nec non quod, quoad regionem ubi habito attinet, e paginis flavis quae dicuntur traxi) sed nonnullis exemplis definitur, e quibus apparebit, quamvis lingua Latina in tabernis denominandis primum locum non occupet, - partem leonis ut Italice dicitur agit lingua Anglica - tamen numerus nominum Latinorum est nullo pacto contemnendus et ostendit linguam Latinam minime mortuam esse. Ut aliis verbis utar sermo antiquorum Romanorum non solum multis modis in mundo hodierno adhuc vivit, sed in rebus hodiernis significantis saepe ab ipsis qui eius mortem decreverunt adhibetur. Hoc loco necesse est illud

opus<sup>1</sup> a Carolo Vossen scriptum afferre quod «Lingua Latina mater et eius filiae» (Theodisce «Mutter Latein und ihre Töchter») inscribitur, nuper denuo typis mandatum, quod de his rebus penitus scienterque tractat.

Itaque inter multas appellationes Anglicas, nonnullas Francogallicas, paucas Hispanicas, ut e.g. «El Charro» (= agricola) et Theodiscas ut e.g. «Milch Strasse» (= via lactea) ambas vestium tabernas significantes sunt: taberna aurificis quae «Auraria (= fodina e qua aurum extrahitur) aurea» nuncupatur, duae tabernae argentificis quibus nomina «Xenia (= Graece dona hospitum, inscriptio libri tertii decimi Epigrammaton Martialis) Linea Argento» et «Tempus». Ad tabernas vestium transeuntes proferre necesse est «Aut Aut», «Modus Negotia», «Modus vivendi», «Amadeus», quod nomen censeo memorare velle illam pelliculam cinematographicam de Volfgango Amadeo Mozart, ut «Carpe diem», nomen tabernae ubi appendices vestium veneunt, non tantum carmen Horatii quantum illam pelliculam Americanam cui titulus «Poetarum societas» (Anglice «Poets' society»), qui in Italia in «Vestigium temporis» («L'attimo fuggente») mutatus est. «Phoenix» est nomen Anglicum (= caput Arizonae) et haec est causa fortasse cur electum sit, sed nemo impediri potest quominus de Arabica fabulosa ave cogitet quae postquam combusta erat, e suis cineribus renascebatur. Sequuntur «Ultra», «Junior», deinde «Etcetera» et duae aliae tabernae quae eodem modo nuncupantur, quamquam orthographia aliquantulum mendosa videtur: nam oculis nostris praebentur «Eccetera» et «Lei lui eccetera».

### *Sanitas*

autem est taberna ubi emi possunt res quae ad artem medicamentariam spectant et instrumenta quae in morbis detegendis adhibentur; cum «Vetus» res temporis acti et «Venus» lintea muliebria praebeant. «Floralia» (= «horti»), ut nomen ostendit, flores et plantas vendit; est praeterea operae pretium paululum ante quandam tabernam unguentariam



sistere quae in fastigio litteris rubris grandissimis inscriptionem iactat inopinatam: «Tota pulchra»: quod taberna pollicetur id mulier quocumque modo natura praedita et cuiuscumque aetatis cupit fieri. Hodiernus pulchritudinis mythos qualibet impensa oblitus est solum Virginem Mariam «totam pulchram» esse posse (cfr «Tota pulchra es Maria: et macula originalis non est in te» - alleluja ex missa In conceptione immaculata Beatae Mariae Virginis).

Ex herbarum medicarum tabernis eminent «Pegasus» (= ille alatus equus e Medusae sanguine natus, e cuius calcitratu fons Hippocrenes in monte Helicone profluit qui Musarum spiritu poetas inflabat); nec non «Officina plantarum» quae in vico prope Florentiam Impruneta appellato est sita; restat ut afferam «De Herbare» quod Latine sonat sed vere Latinum non est.

### Nautilus

est taberna ubi instrumenta ad corpus aedificandum (= Anglice *body building*) veneunt. Arbitror dominum minime meminisse «nautilum» conchylium esse; scilicet ille cogitavit de navi

submarina et de Nemo duce quorum memorabilia nobis narravit Julius Verne, Francogallicus scriptor, in opere quod «Viginti milia leucarum sub maribus» inscribitur.

Ut finem faciam praeterire non possum quin

### Convivium

memorem cauponam quae nuptiis et huius generis eventibus cenas luxuriose lautissimeque parat, nec non salsamentariam quandam tabernam in cuius ianuis haec legi possunt: «Res coquinaria»/ «Vino miscere saporem». E suavibus pernis, e caseis cuiuslibet generis, ex obsoniis iam paratis, e cibis delicatioribus qui e vitreo quoque perspiciuntur, emptores allicientibus, conici potest hanc tabernam «Rem coquinariam» Apici non solum verbis sed re imitari. Itaque post longum iter ad nos recreandos et reficiendos hic locus mihi videtur esse aptissimus.

28

<sup>1</sup> VOSSEN, Carl: Mutter Latein und ihre Töchter. (Europas Sprachen und ihre Herkunft), Stern-Verlag Jassen & Co., Düsseldorf.



### NUBES

Stant nubes super ultima  
culmina atque mihi patent  
proximae, super hoc caput  
unum mox ruiturae.

Tranquillae redolent rosae,  
securae volucres canunt,  
garrulae et refluunt aquae:  
cur tantum tremo solus?

Iosephus Tusiani  
Neo-Eboracensis  
m. Nov. a. 1993





# LAMBERTI VOSSII BELGAE (1602(?)-1648(?))

ODE AD FRIDERICUM CARD. BORROMAEUM INEDITA  
SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

[f. 4v]

ODE EUCHARISTICA AD ILLUSTR[ISSI]MUM ET REVEREN[DISSI]MUM PRINCIPEM FEDERICUM  
CARD[INALEM] BORROMAEUM pro Reliquiis S[ANCTI] CAROLI BORROMAEI Impetratis

Odi profanum vulgus et impudens,  
quod semper orat semper et decipit,  
et cum suo munus datore  
scribit in aequoreis procellis.

Ditatus isto pignore, pondere  
onustus illo, quis male credulus  
formidolosas excubantum  
insidias metuat latronum?

Quid liberalis munera dexteræ  
oblivioso pectore suppressis,  
ingrate supplex? Negligente  
cur animo benefacta deles?

Nil iam moramur fulgura; fulmina  
nil iam moramur: dum fero talia,  
in me suas amittet iras  
aeris vaga flamma telii.//

Iniurioso desine pallio  
velare donum; munera publico  
portanda vultu, nec tacenti  
in gremio tumulanda virtus.

Vel si dehiscant corpora montium, [f. 5v]  
vel si labascant robora quercuum,  
vel totus intremiscat orbis,  
intrepido tamen ibo gressu.

Quid mente non grata magis impium?  
At qui recepto munere debitas  
grates reponit, iam beari  
officio meruit fecundo.//

Si fabulosis credere Graeculis  
fas est, per ignes Tros Simoentius  
et per recedentes sagittas  
Iliacos rapuit Penates.

O Borromaei gloria sanguinis, [f. 5r]  
immensa vestrae munera dexteræ  
in me recumbunt; ecce pondus  
ferre molestum humeri laborant.

Si per procellas et mare fervidum,  
Iunonis irâ per Siculas feras,  
Scyllam et Charybdim, ad Latinas  
incolumis penetravit oras,

Caliginosis ergo silentiis  
donum receptum perfidus obruam?  
Absit nefas! Accede, fama,  
accipe quae tibi do canenda.

quod classe ferret nullipotentium<sup>1</sup>  
portenta divum, cur ego, qui modo  
non vana porto sacra, cur iam  
montivagos timeam latrones?

Tu me besti, maxime principum,  
tu me besti: tu mihi Belgica  
in templa sanctas credidisti  
reliquias Caroli ferendas.

O sancte caelorum incola, Carole,  
illustre templis o decus additum  
novumque nostris lumen aris,  
digne coli meliore plectro,

O quam beatis condicionibus  
viam subibo! Quam nihil anxius  
cunctique securus pericli,  
praesidio comitatus isto,

quocumque caeli cardine fulgidus  
haec nostra spectas, respice desuper,  
qua claustra telluris Latinae  
in rigidas cumulantur Alpes;

praecelsa scandam culmina montium,  
certo ferendis plena laboribus!  
Nec me morabuntur nivali  
vellere vix adeunda saxa.

illic sacratas reliquias tui  
collo ferentem respice Vossium,  
hunc, Sancte Borromae, semper  
praesidio comitare vestro.//





Absint ab isto fulmina limite [f. 6r]  
 quo tu fereris; sol violentior  
 nimbique cedant, ne nocentes  
 reliquiae patiantur imbres.

Fures, latrones, vincula, vulnera  
 averte nobis, Carole: nam scio  
 novisse te sicariorum  
 excipere innocuas balistas.

O sancte praesul, nunc tibi spondeo:  
 olim reversus sospes et integer  
 tuas ad aras collocabo  
 auxilii memorem tabellam.

Et tu, sacro qui solio sedes,  
 cognate Sancti, maxime praesulum,  
 i macte, nam tacere vestros  
 nulla dies poterit triumphos;

et ista nostrae munera gratiae,  
 exigua quamvis munera, suscipe:  
 ventura me magis magisque  
 posteritas memorem loquetur.

Ne crede verbis; si lubet, intima  
 scrutare nostri scrinia pectoris:  
 hic dulce nomen Borromaei  
 in solido recitabis auro.

*Lambertus Vossius Rosellanus (oriundus Brabantino ex oppido Reusel) anno 1602° vel circiter est natus. Qui cum Iesuitarum collegium Silvae-Ductis frequentatus Latine didicisset et Graece, circa annum 1624 Brugis se contulit ut Oliverio Vredio historiographo (quo olim Graecae linguae praeceptore erat usus) serviret. Huius opera et pecunia factum est ut anno 1625° Lambertius iter faceret Italicum, quod per Galliam instituit. Extant huius itineris testes permultae litterae ad Vredium datae rebusque scitu dignis refertae, quae Bruxellis in Bibliotheca Regia adservantur ineditae. Romam autem pervenit Vossius Telonio, ubi ei Francisci Card. Barberini navem inscendere licuit; ipsa in Urbe feliciter cognovit Iustum Riquium, poetam Gandavensem, professorem, Academiae Linceorum socium. Lambertum vero post biennium Romanum in patriam revertentem valetudo temptavit infirma; quare omni opinione diutius in Italia versatus, cum Mediolanum pervenisset, viaticum consumpserat omne. Iter tamen perrexerit favore et pecunia Friderici Card. Borromaei adiutus, quae cum carminibus, cum litteris his imploraverat:*

Ill[ustrissim]e et rev[erendissim]e princeps, [f. 15r]  
 Lambertus Vossius natione Brabantus, dioecesis Antverpien[sis], quinque circiter abhinc septimanis Roma decessit iter in patriam cogitans, evocatus a rev[erendissim]o ep[iscop]o Brugensi ad exercendum sub illo officium procuratoris fiscalis curiae ecclesiasticae. Accidit autem ut paulo post quam Roma exiverat orator partim cum aeris iniuria, partim etiam cum adversa valetudine tam diu et tam saepe conflixerit, ut pauxillum hoc viatici, quod Roma secum extulerat et quo in patriam propemodum perveniss[et], vix huc usque suffecerit; adeo ut in eiusmodi angustias se iam coniectum videat, ut, nisi pia aliqua eleemosyna sublevetur, de reditu in patriam adeoque de officio a d[omin]o rev[erendissim]o ipsi promisso (ubi periculum in mora est) paene desperandum sit. Quare d[ev]olutus<sup>2</sup> orator ad A[m]plitudinem v[estram] cum plenissima confidentia conversus, humillime eam rogat et obtestatur ut pro innata sua in omnes egenos pietate et misericordia liberalitatis suae manum aperire et piam eleemosynam in ipsum conferre dignetur, quatenus graves illas expensas tam longi adhuc itineris ex aliqua saltem parte sublevare possit, eoque citius et securius cum sacris reliquiis S[anctorum] Caroli et Philippi in p[at]riam reversus pro longa A[m]plitudinis v[estrae] incolumitate Deum Opt[imum] Max[imum] (quod promittit) orare possit. Quo facto, etc.  
 Ill[ustrissim]o et rev[erendissim]o principi Fed[erico] Card[inali] Borromaeo, archiepiscopo Mediolani<sup>3</sup>

*Lambertus Vossius ad Belgas redux varia obiit officia, dum anno circiter 1632° notarius in oppido Brugis est creatus. Tilburgi duxerat uxorem, e qua liberos IV procreavit. Obiit anno 1647° aut 1648°.*

*Opera ille in lucem edidit alia Latina, alia Nederlandica; Gallice autem vertit Vredii opus magnum. Carmina Vossiana II eaque Latina continentur Carminum ipsius Primitiis in strenam datis anno 1634 (Brugis, 1634); item per pauca Latine exarata Operibus eius omnibus (Alle de Wercken van Lambertus Vossius (Brugis, 1679)); collectiones vero carminum et Latinorum et ineditorum adservantur in Bibliotheca Vaticana (cod. Barb. Lat. 2088) et in Bibliotheca Ambrosiana Mediolanensi (cod. P 145 Sup.); illa est Francisco Card. Borromaeo XIV Kal. Mai. anno 1627° dicata et habet carmina VII; haec autem ad Fridericum Card. Borromaeum est data eodem anno et continet poemata aliquot nova praeter Romana (alia vero, quae ad Barberinum dederat, paululum mutavit ut Borromaeo offerri possent). Vossiana omnia, quae quidem Latine sunt scripta, otium nacti in lucem edere cupimus. 28*

<sup>1</sup> Vox haec deest in lexicis Latinitatis antiquae.

<sup>2</sup> An d[ic]tus?


<sup>3</sup> Cod. ms. Biblioth. Ambros. Mediol. P 145 Sup., ff. 15-16v.

## DE CENA ROMANA (III)

SCRIPSIT VALTHERUS FUCHS

**C**aro assa in sartagine, patella, patina parabatur maximam partem metallina. Ceterum cribro infundibuloque quoque opus erat coquis in culina. Mortario iuvante condimenta herbaeque terebantur in liquamine aut embammate conficiendo.

Vasa maximi momenti i.e. persaepe in cibis coquendis adhibita ollae sive aulae erant quae



lagoena

situla

ampulla




tripus

cortina



cupella, cupula



mortarium



caccabus



infundibulum



cribrum

carboni vivo i.e. tripedi imponi solebant.

Catini, speciatim autem lances, integro ferculo repleti non in mensa, sed in repositoriis initio ligneis, mox autem testitudineis argenteisve deponebantur.

Quod attinet ad additamenta: condimenta dulcia et acida saepe miscebantur.

Oleum olivarum praecipue e provincia Baetica importatum in omnes imperii provincias vehi solebat.

Oleum in omnibus stratis socialibus Romanorum maximi erat momenti in cibis praeparandis ac coquendis. Amphoris specialibus (cfr p. 11) introrsum cera illitis asservabatur aut doliis operculis ceraque clausis, ne aere corrumperetur. Qualitas pretiumque olei a variis modis olivarum tractandarum dependebat in torculari oleario. Ceterum non omnes olivae carptae torculari adducebantur oleario: olivae crassae sive opimae mensis secundis inter cenam una cum herbis apponi solebant tamquam ferculum speciale.

Panis non ante 2um a. Chr. n. saeculum iniens a Romanis coquebatur; usque ad illud enim tempus *puls* consumebatur.

Tria erant panis genera:

- 1) panis rusticus sive plebeius e farina per cribrum cretum non subtile
- 2) panis secundarius (paululum candidior)
- 3) panis candidus sive mundus


Initio panis Romanorum rotundus sine faece conficiebatur in domo ipsa ab uxoribus aut ancillis; decursu temporum pistorum erat panes coquere periculorum incendiorum vitandorum causa. Pistorum panes saepe sigillo pistoris aut servi eius erant signati.

Avena non erat accepta, itemque milium ac secale parum aestimabant. Ceterum homines stratorum socialium inferiorum *pulte* vescebantur, quae una cum oleribus cibus maximi momenti erat pauperum.

In Apicii libris magnus numerus praeceptorum invenitur. Vox *polentae* quoque monet de pulte (pulticula); hordeum non madefactum in craticula assabatur ac coriandro aceto sale admixtis molebatur.

Frumenti grana in pistrinis lapideis i.e. molis trusatilibus molebantur quarum numerosae sunt effossae. In pane coquendo farinae persaepe defrutum admiscebatur fermentandi causa.

*Delineamentum depromptum ex:  
"ORBIS PICTUS LATINUS" (Hermann Keller),  
Artemisverlag Zürich/München, 1987, p. 425.*



A: amphora vinaria; B: amphora olearia; C: amphora inserviens embammatibus asservandis.

(Depr.: Hilgers, Bonner Jahrbücher 31, Beiheft 1969, Düsseldorf 1969, p. 36)

In antiquitate cibi generatim oleo olivarum condiebantur; butyrum medicamen habebatur; mel, sal, acetum, piper multo post admittebantur ad epula. Omnia fere alia condimenta plus minusve ex Asia Minore, Africa, Thracia aliisque ex provinciis orbis terrarum erant advehenda, e.g. piper, cuminum, coriandrum, anethum, anisum, thymus, maioraca, feniculum, alium, cepae, petroselinum, apium, puleium, satureia, laurus, origanum, menta, sinapis.

*Garum* in urceis asservatum ad omnes fere cibos omniaque ad fercula apponi solebat. In illo embammate parando primum *liquamen* efficiebatur: in olla piscium intestina ponuntur; piscibus minoribus consectis adiunctis beneque agitatis pulcra quaedam e piscibus salsis tabescens oritur, quae illico aeri sive soli exponitur, iterum vehementer agitatur, ita ut fermentescat. Materiâ liquidâ sole iuvante paene siccata corbula mergitur - vimine contexta - in vas liquamine repletum. liquor per corbulam lente perculans est *garum*, illa materia pretiosissima; id quod restat in corbula: *allec*, embamma minoris qualitatis servisque saepe oblatum. Gari depravati sapor generatim musto adiuncto «corrigebatur».

Ovum assatum nonnullis gari guttis aspersum cibus iam habebatur delicatus quamvis modestissimus. Ille liquor in nonnullis maris mediterranei portibus confectus in omnes imperii provincias solebat exportari. *Garum sociorum* ex intestinis scombrorum confectum summae erat qualitatis.

Cibi «vehementer» condiebantur, ut ita dicam, et monent de arte coquinaria regionum Asiaticarum, quia nimis Romanorum erat usus embammatum quorum condimenta partim in hortulis domesticis colebantur, partim importabantur.

Condimentis embammatibusque immodice adhibitis coqui gustum alimentorum adeo depravabant sive mutabant, ut vix quisquam sciret, quid comederet.

Magnus ergo erat numerus herbarum condimentorum a coquis in culina adhibitorum in cibis praeparandis; rarissime uno tantummodo condimento solo satis habebant. Cibi tali modo cocti sinfoniam, ut ita dicam, condimentorum efficiebant, quorum proportionem praecipue piper, alio, sale, lauro, thymio, anetho, coriandro constituebantur.

In embammatibus conficiendis omnia condimenta necessaria una cum farina, oleo, herbis, aceto, ovis in mortario tritis in olla coquebantur.

In Apicii - illius clarissimi Romanorum coqui - qui 1° p.Ch.n.

saeculo vivebat Tiberio imperitante de arte coquinaria libro legimus quo modo *moretum*, ille cibus herbosus, conficeretur. Pistillo enim iuvante condimenta necessaria oleo caseoque admixtis terebantur in mortariis lapideis fictilibusve; tali modo illud *moretum* quod dicitur ex alio, sale, aceto adiunctis paratum panique impositum prandii occasione comedi solebat. Multa illius casei de quo mentio fit in Appendice Vergiliano exstant praecepta ab omnibus stratis socialibus peraeestimata. Ille caseus occasione ientaculi prandiique «sine mensa» consumebatur una cum dactylis, pane, olivis, aqua.

In condiendis cibis Romanis acceptissimis non solum coriandrum anethumque cottidie fere erant adhibenda in culina, sed etiam apium graveolens, cuminum, feniculum - immo vero senapium, herbae generatim in hortulis domuum cultae. Poma, perae alique fructus aequae ac caro ac legumina melle obliti in cupis condiebantur ac asservabantur. Praeterea acetum in conservandis alimentis persaepe adhibebatur itemque salsura, mixtura quaedam salis, aceti, sinapis densissima. Maior autem Romanorum pars olera et legumina siccando conservabant.

Talibus condimentis embammatibusque liquaminibusque coqui utebantur quibus cibis simplicibus meliores praebentur sapes. Apud Petronium e.g. comperimus Trimalchionis coquum suis carnem quinquaginta modis variis praeparare potuisse. Nonnumquam caro variorum animalium concoquebatur: coqui illorum temporum artifices erant veri; ecce Trimalchionem qui loquitur de coquo suo: «Non potest esse pretiosior homo. Voveris de vulva facit piscem, de lardo palumbam, de perna turturem, de colaepio gallinam...» (cap. 70), ita ut nemo sciret, quid comederet.

## POTIONES

Occasione ientaculi aqua sumebatur cum pane aut sucus quidam aquae admixtus; vespere quidem, in cena, vino fruebantur. Vinis in amphoris asservatis corticeque clausis pix mel herbae aqua marina admiscebantur ne vinum verteretur in acetum. In cratera vinum et aqua commiscebantur: unicuique litro vini quaterna litra aquae admiscebantur.

Varia apud Romanos vini exstabant genera, e.g. illa condita quorum sapes variis herbis, oleis, immo vero lignis componebantur aut illud vinum pomarium sive sicera e pomis ficis palmulis peris confecta. Itemque dulcissimi saporis caroenum ac defrutum quod condimentis efficiebant persaepe e.g. myrra pipere melle aquaque marina immo vero gypso argilla calce marmore resina - ut potio induraretur - admixtis; quae potiones aestate praecipue refrigeratae convivis appositae parvi constabant.


*Vinum* potio principalis Romanorum non solum Romae totaque Italia apponebatur, sed etiam in provinciis remotis, immo vero in Britanniam Germaniamque importabatur. Cum vinum, ut supra diximus, more Graeco aquae admisceretur, vasa Romanorum vinaria nostris poculis hodiernis erant capaciora quia salutis fovendae causa vina aqua calida miscebantur; erant quidem qui glaciem admiscerent aut aquam gelidam in cratera.

*Vinum trulla sive cyatho* e cratera exhaustum in pocula infundebatur colo crebro iuvante, ut potio separaretur a faece. In opera caelata multorum lapidum sepulcralium servi sunt insculpti talem cyathum manu tenentes.

Illud Dionysi donum aequae ac cervesiae in provinciis imperii septentrionalibus, Galliae et Germaniae, doliis asservari et transportari solebat saepe ligneis; in Italia autem neque utribus vinariis neque doliis ligneis asservabatur, sed doliis fictilibus, e quibus vinum transfundi solebat in amphoras fictiles, quarum umeris pittacia erant affixa de nomine effectoris mercis, de pretio, pondere, regione exportationis et loco designato edocentia. Insuper e talibus nuntiis inter alia optime elucet quae fuerit mercium circulatio in antiquitate. Tales amphorae vocantur «amphorae litteratae».

Illa dolia, de quibus supra locuti sumus, funibus crassis erant circumvoluta, ne ictibus diffringerentur in commeatus vehiculis.

*Cervesia* non modo in Italia, sed etiam in Africa septentrionali et speciatim in Gallia et Germania potio indigenarum erat acceptissima, quamquam in regionibus Balcanicis ille potus septimo iam ante Chr.n. saeculo confectus sive braciatus esse dicitur. Generatim non amphoris, sed *cupis* ligneis



*Navis oneraria cupis (ligneis) doliisque funibus circumvolutis onerata. Photographema depr. ex "2000 Jahre Weinkultur an Mosel-Saar-Ruwer" Röm. Landesmuseum Trier, 1989 (IV saec. p.C.n.)*

asservari et navibus transportari solebat quod e quodam elucet fragmento operis caelati in Treveris reperto.

Illa autem potio non omnibus Romanorum palatis accepta fuisse videtur. Ante dominationem Romanam Galli et Germani cervesiam praecipue potare soliti erant, decursu autem temporum mores eorum sub imperio Romano mercatoribusque Graecorum curantibus paulatim sunt mutati vinumque potio factum est cottidiana.

Apud Iuvenalem Martialemque poetas de patronis legimus, qui optimos cenae cibos ipsi devorantes pretiosisque vinis fruente hospitibus ingustabilia praebebant fercula pessimaque vina.

Generatim autem cena Romanorum satis modesta apparabatur in familiis classium inferioris et mediae, ubi fercula simplicia - non raro unum tantummodo solum - eligebantur et apponebantur, non solum parsimoniae causa, sed etiam quia culinarum dimensiones erant minores. Pauperibus insuper non semper culinae erant in domibus, quamobrem cibi cocti iis emendi erant in popinis in propinquitate sitis aut in cauponis. Ceterum pauperes subsidiis fruebantur magistratuum, praecipue frumenti, panis, nonnumquam vini, carnis suillae, olei olivarum.

## COMISSATIO

Potatio ipsa, illa commissatio quae dicebatur, cena ipsa vera atque propria terminata sive conclusa mensarum secundarum occasione incohabatur more Graeco, i.e. alea iacta «magister bibendi» sive «convivii» a convivis floribus sertis exornatis eligi

solebat per quem genus vini, poculorum dimensio, mixturae vini ac aquae proportio constituebantur.

Nonnumquam res oblectabiles convivis praebebantur: concentus ac acroamata histrionalia edebantur, hospites de philosophia sermocinabantur, a servis eruditus opera recitabantur poetarum, acroases habebantur praelectionesque academicae; homines iocosi lyristaeque convivas artibus delectabant suis.

In comissionibus divitum e lacunari triclinii dona demittebantur, inter alia flacones vitrei liquoribus bene olentibus repleti. Petronius cap. 60: «Ecce autem deductis lacunaribus subito circulus ingens, de cupa videlicet grandi excussus, demittitur, cuius per totum orbem coronae aureae cum alabastris unguenti pendebant».

Puellae Hispanicae quae dicebantur saltationes producebant satis lascivas, praeterea catervae clientium ac parasitorum patronos circumvolitabant suos sportulas petentes aut ad cenam se invitatum iri sperantes.

Bibentibus saepe complures cyathi uno potu erant ebibendi, i.e. «ad numerum» erat bibendum: si cui convivae honorando e.g. septem erant litterae in nomine, septem vini cyathi ei erant ebibendi.

Convivae inter se propinabantur: *bene tibi; bene vivas*. Vasa Romanorum pоторia quosdam nuntios speciales nobis praebent de quodam aspectu vitae cottidianae illorum temporum: pocula vasaque vinaria ex argilla aut vitro confecta non raro vocibus sive sententiis erant exornata.

Inter cenam, speciatim occasione comissionis, quidam bibendi ritus erant evoluti, quaedam formulae ad hospites spectantes vinum petentes, orantes, quaerentes, flagitantes, lamentantes, deplorantes, irridentes: *da vinum copo; da bibere; mitte vinum; da caldam; pete vinum vitula mea* etc.

Non raro poculum puellam cauponiam verbis teneris alloquebatur: *amas me vita; vitula mea; reple vita; lude*.

Ceterum in numerosis inscriptionibus non solum Bacchus invocabatur sed etiam Venus (vox «puellae» verisimiliter refert ad tales puellas). Caupones crebro increpari solebant: *da merum; remisce me; parce aquam adic merum*, aut poculum bibentem alloquebatur ipsum: *bibe me; utere me*, aut bonam exoptabat salutem: *salvus (sis); accipe me felix*.

Multa sunt reperta menda orthographica in poculorum inscriptionibus - non omnes vitrearum figulique linguae Latinae satis bene erant compositae: *filix, frui me; bibamus in Christo* (pro: *vivamus*).

Talia vasa pоторia nigra litteris albis exornata in officinis figlinis Augustae Treverorum 2° et 3° p.Ch.r.n. saeculis confecta in multas imperii regiones speciatim in legionum stationes exportari solebant, ubi eorum usus frequentissimus fuisse videtur.

Coloniae Claudiae in museo Romano-Germanico poculum vitreum pretiosissimum c.n. «diatraetum» 4° p.Ch.r.n. saeculo adiudicandum est exhibitum cuius parti superiori - infra labrum - quattuor verba Graeca rubris litteris sunt instillata: ΠΙΕ ΖΗΧΑΙC ΚΑΛΩC ΑΕΙ i.e. Latine: «Bibas ac vivas feliciter in perpetuum» - ne obliti simus illis temporibus linguam Graecam in multis imperii Romani provinciis speciatim in partibus ad orientem vergentibus iuxta linguam Latinam linguae vernaculae inservivisse; etenim multi Graeci in exercitu et in classibus Romanorum militare solebant.

Inter comissionem autem mortis sunt consci: «... larvam argenteam attulit servus sic aptatam ut articuli eius vertebraeque laxatae in omnem partem flecterentur. Hanc cum super mensam semel iterumque abiecisset, ut catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret, Trimalchio adiecit: «Eheu nos miseros, quam totus homuncio nihil est. Sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus. Ergo vivamus dum licet esse bene»». (PETRONIUS, op. cit. cap. 34). Ergo et *carpe diem et memento mori* in comissionem.

Ad convivia Graecorum uxores non erant admissae; Romae autem uxoribus infantibusque - inde ab Augusto imperitante - talibus comotationibus interesse licebat, feminae immo vero virorum licentiam aequare studebant. Severi bonique maiorum mores non iam erant validi.

Plebei simili modo simplicissimo quidem occasione festorum societatum suarum modicissimos consumere solebant cibos magistris cenarum curantibus: paululum panis, nonnullae sardinae poculum vini unicuique attribuebantur. Simili modo Christiani cenas suas communes celebrare consueverant Christi nomine; pauperes divitias fidelium locupletum participabant permodiceque comedebant ac bibebant Christum ante ac post cenam invocantes - et talia aetate Petronii. 28

*Ea, quae de cena Romana legistis, sunt textus lustrationis Latinae, quam Valtherus Fuchs mense Maio praeterito duxit in Museo Archaeologico Coloniensi. In quo museo saepe fiunt lustrationes, nonnumquam Latine. Si quis plura de his scire cupit, scribat ad ipsum museum (Römisches Germanisches Museum - Köln).*

## DE NOVIS COMMENTARIIS

### Q.T. EUTOPIA

*Rogamur ut lectores nostros certiores faciamus de novis commentariis, qui pertinent ad Antiquitates totius Europae: quorum titulus est EUTOPIA. Quamquam symbolae non sunt Latine conscriptae, sed variis linguis vernaculis, hoc Latino prooemio suum propositum explicant moderatores:*

"Commentariis novis qui Eutopia appellantur totius antiquitatum Europae studia excoluntur. Visum est eos publici iuris facere fructus pervestigationum de humanis societatibus quae in partibus Europae fuissent ab aetate antiquissima ad aevum medium iniens, nec non virorum variarum doctrinarum peritorum ex omni ratione ac propensione censoria inquisitionibus favere; eos item et de studiorum disciplina et de antiquorum monumentorum tutela tractare.

"Vertuntur praeterea commentarii ad omnes quibus studiorum antiquitatum curiositas est, quo de historicis monumentis amplius notio patrimonii communis effundatur, faciliusque novae Europae cognitio effingatur. Hoc ipso tempore nostro Europa una fieri potest. Doctis viris munus est igitur ratione maioris splendidissimae rei publicae constituendae, historiae argumentis novae communis patriae omnibus gentibus Europae erigendae. Invenitur enim nunc historicarum studio disciplinarum ratio qua illa mensura imaginaria rei publicae unius nationis, quae olim iisdem doctrinis firme probabatur, denique iure ac merito superatur.

"Vt titulus indoli conveniat, quasi nomen ex animo exortum, ita commentarii novi Eutopia dicuntur, adhibito vocabulo novato in versibus editis anno MDXVI in Thomae Mori de optimo statu rei publicae libro sub nomine Anemolii poetae laureati, forsitan Petri Aegidii vulgo Peter Giles.

•Vtopia priscis dicta, ob infrequentiam,  
Nunc civitatis aemula Platonicae,  
Fortasse uictix (nam quod illa literis  
Delineavit, hoc ego una praestiti,  
Viris & opibus, optimisque legibus),  
Eutopia merito sum uocanda nomine."

EUTOPIA peti potest ab ipsa domo editoria: Edizioni Quasar, Via Quattro Novembre, 152  
00187 Roma

## NUNTIORUM LATINORUM

NOVUM HORARIUM  
(26/09/93 - 26/03/94)

*N.B.: etiam exstat liber nuntiorum Latinorum;  
ad quem emendum scribatis oportet ad  
radiophoniam Finnicaam:  
Yleisradio / International information,  
PO Box 10 - SF-00241 HELSINKI*

## NUNTII LATINI

26 September, 1993 - 26 March, 1994

	GMT	kHz
EUROPE		
Sat	19.55   11755, 9730, 6120, 963, 558	
	22.55   9615, 963, 558	
THE MIDDLE EAST, EAST AFRICA		
Sun	05.55   11755, 9635	
EAST ASIA, AUSTRALIA		
Sun	09.25   17800, 15330	
EAST ASIA, SOUTH AMERICA		
Sat	22.55   9615	
NORTH AMERICA		
Sun	14.55   17740, 15400	
FINLAND local time FM		
Fri	09.55	
Sun	17.55	YLE Radio 1 ( national network )

# SENECAE "TROAS"

SCRIPSIT FRANCISCA DERAEDT

Nemo vestrum nescit Senecam non solum opera philosophica conscripsisse, sed etiam tragoedias. Sed - procul dubio - nemo vestrum scit homines exstare, qui putent has tragoedias non esse taediosas. Talis enim est earum fama, iam a Iusto Lipsio, qui eis praesertim adiudicabat "adfectionem et tumorem". Etiam si textum inspiciamus, ipsas Senecae personas interdum videtur taedere theatralium lamentationum; videatis exempli gratia Ulixem, qui Andromachae ploratus non iam potest sustinere: "Rumpe iam fletus!" (Troas v. 785)

At quid Ulixem produco? Ille nihil scit de arte poetica. Alii omnino aliter aestimant. Sicut Iosephus Iustus Scaliger de Lipsio: "Quam pueriliter de tragoediis Senecae iudicat!"

Sed hodierni quid censent? Suntne illae fabulae ostentabiles annon? Fierine potest ut spectatores non pereant taedio confecti? Quid vobis videtur? Nescitis? Ego nunc scio rem fieri posse, propterea quod id ipsa vidi meis oculis.

Alumni professoris Stroh, cum fabulam dare vellent ad illustrandos Ludos Horatianos Monacenses, tragoediographum sponte sua elegerunt Senecam. Valahfridus Stroh libenter assensus eis suasit ut inter ea Senecae dramata, quae ad nos usque sunt perlata, Troadem potius sumerent quam Medeam Phaedramve.

In tragoedia antiqua non solum sunt actores,



*Hecuba ante Troiae moenia (omnino combusta; nil mirum si photographema apparet nigrum!)*



*Calchas vates*

sed chorus. Providerunt ergo saltationem et musicam. Haec omnia sunt professionaliter comparata: chorum cantatores docuerunt cantare, saltatores docuerunt saltare; ipsos modos musicos composuit ordinavitque Martinus Kesser professor in Schola musica Frisingensi (qui acta fabula ingentes valdeque meritos plausus accepit). Quod pertinet ad textum Latinum, Valahfridus Stroh gregem instruxit.

Tota scaena, a moenibus Troianis usque ad vestimenta, a musica usque ad gestus actorum, tam pulchre est proposita ut plura dicere nequeam. Hecuba et Andromacha totam caveam commovere valuerunt. Spectatores cum choro libenter saltavissent si decuisset; nonnulla quidem genua aspexi modos musicos rhythmice comitantia. Post tantum successum restat ut speremus gregem mox invitatum iri ad agendam, ut aiunt, "concursationem Europaeam".

N.B.: Programma spectaculi plus est quam programma: inest tragoediae summarium, textus (authenticus sed paululum decurtatus), interpretatio, iudicia clarorum virorum (e quibus excerpti Lipsium et Scaligerum). Quod opus magistris potest esse valde utile. Non dubito quin adhuc possit peti a prof. Stroh: Univ. München, Geschwister-Scholl-Platz, 1 - München.





# LATINITAS VIVA

UBI COLATUR

## ITER LATINUM IN CAPPADOCIAM

Fiet exeunte mense Iulio - ineunte mense Augusto. Si quis plura de hoc itinere Turcico scire cupit, scribat ad Melissam.

## SEMINARIA LATINA

Latine loqui docere: hic est scopus seminariorum a Societate Latina institutorum. Eorum peritissimus moderator est Dr P.C. Eichenseer, qui iam ab anno 1973 talibus seminariis innumeros homines induxit ut Latine loquerentur. Eius cooperatrix D.rix Sigrides Albert iuniores separatim curat atque delectabiliter impellit in colloquia Latine habenda.

Duo seminaria anno 1994 fient:

### **Morsaci (Morschach) in Helvetia a die 17 in diem 23 mensis Iulii**

Scribatis ad: SOCIETATEM LATINAM  
Universität - FR 6.3  
Postfach 1150  
D-66041 Saarbrücken

### **Vavriae (Wavre) in Belgica a die 5 in diem 12 mensis Augusti**

Scribatis ad: Gaium LICOPPE  
Avenue de Tervueren, 76  
B-1040 Bruxelles

## L.U.P.A.E SEMINARIUM PRAGENSE

Fiet a die 30 mensis Iulii in diem 6 mensis Augusti. Praeter sermones, orationes, disputationes cantus, concentus, excursiones Praegae offeruntur. Tirones etiam exspectantur, atque Graece licebit loqui.

Scribatis ad: Mariam ALEXA  
Burgstrasse, 3  
D-59368 Werne

## FERIAE LATINAE

a Dre Suitberto Siedl OCD institutae. Moderatores eas fieri volunt "Tusculum quoddam ubi cum Cicerone, Cassiciacum ubi cum Augustino, Cenaculum ubi cum Hieronymo..." Celebrandae sunt

### **in Carinthia a die 21 in diem 26 mensis Februarii**

Scribatis ad: Felicem W. KUCHER  
Bildungshaus St. Georgen  
A-9313 St Georgen/ Längsee

### **Nicaeae a die 21 in diem 28 mensis Augusti**

Scribatis ad: Clementem DESESSARD  
Résidence des Collines, C9  
500, Rue Léo Brun  
F-06210 Mandelieu

## DOMUS LATINA

Sessiones Latinae fiunt Bruxellis in Domo Latina, ad quas participandas omnis latinista libenter invitatur. Si quis de his plura scire cupit, scribat ad Melissam.